

Congreg. Concilii referunt *Galet.* in Margarita casuum conscientiae verb.: Parochus 3., et *Barbosa* in Trident. sess. 24. de reformat. c. 4. n. 8.

Parochi non naturales Indiarum, sive Saeculares sive Regulares sint, tenentur omnino habere apud se Capellanum natalibus et origine Indum pro Confessionibus audiendis et diebus festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti, in ea, qua initiati sunt, orthodoxa fide langueant ac paulatim deficient, iisque pro sustentatione et labore, ubi populus ipse id sponte non praestiterit, congruum suppeditent stipendium. Clemens IX. Constitut. 38. incip.: *In excelsa.*

Parochi in Concionibus caveant ab allegatione Doctorum et Auctorum moderatorum praesertim viventium. Congreg. S. Officii 27. Octobris 1649 apud *Pitonum* Constit. et decis. ad Parochos spectantes n. 539.

Parochi utantur specialiter in Concionibus Catechismo Romano Maximisque utiles et Auditorum capacitati adaequatas simpliciter et clare explicant, ut populus libenter audiat, frequenter concurrat et fructuose discedat. Clemens XI. die 16. Mart. 1703 in litera circulari ad quintum.

Parochi singuli tenentur concionem habere in suis Ecclesiis nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innoc. XIII. in sua Constitutione pro reformanda disciplina regnorum Hispaniae, quam Benedictus XIII. confirmavit, ut esset norma caeteris Ordinariis. *Institut. Eccles.* 10. §. 3.

Sufficit tamen pro concione allocutio pia singulis festis, ut respondit S. Congreg. die 8. Augusti 1732.

Concionem proprii Parochi, quam in parochiali Ecclesia diebus festis habet, ascoltare parochiani non tenentur, praecipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. *De Synodo Dioecesis. lib. XI. cap. 14. §. 13.*

9) Tempus.

Vd.: *Praedicatio Episcopi; Praedicatio Parochi.*

Non est praedicandum de nocte, sed tempore praescripto ab Ordinariis. *Concil. Mediolanense* 1. p. 1. tit. de praedicatione verbi Dei. Unde nulla Concio, neque Passionis Dominicae, debet fieri de nocte. Sacra Congreg. Episcoporum et Regular. in Castrensi 20. Mart. 1629.

PRAEDICATOR.

Vd.: *Concionator.*

1) Approbatio Episcopi.

Approbare Praedicores spectat ad Episcopum, licet electio spectaret ad alios. S. Congreg. Episcop. et Regul. in Aquensi 8. Apr. 1603 apud *Nicol.* in Flosculis verb.: Praedicator n. 15. Unde Praelatus exemptus inferior Episcopo, qui non habet territorium separatum cum vera qualitate Nullius, non dat licentiam neque benedictionem Praedicatoribus, qui praedicare debent in locis suae jurisdictionis, sed ista facultas spectat ad Episcopum in cujus Dioecesi locus exemptus existit. Sacra Congreg. Conc. 21. Novembris 1596. *Pign.* 10. cons. 151. num. 16. et 17., *Card. Petra* t. 4. Comment. ad const. 5. *Calisti III.* sect. 2. n. 57. et seq., ubi adducit plures S. C. C. et Rotae decisiones.

Ad Episcopum spectat dare benedictionem Concionatori, qui praedicare debet in Ecclesia Conventuali Ordinis militaris *s. Stephani. Sacra Congreg.

Conc. in Pisana jurisdictionis 21. Febr. 1688 in responsione ad 18. Item ad Episcopum Dioecesanum spectat dare licentiam et benedictionem Praedicatoribus, qui debent praedicare in Ecclesiis Prioratum Religionis Hierosolimitanae non habentium territorium separatum cum jurisdictione quasi episcopali et vera qualitate Nullius. Sac. Congreg. Conc. in Vulturariensi apud *Card. Petram* loc. cit. n. 58., ubi refert totum Decretum et etiam plures decisiones Sacrae Rotae Romanae.

Vd.: *Constit. Leonis X. diei 19. Dec. 1516 in Bull. r. t. I. p. 579.*

2) Benedictio.

Vd.: *Bened. Concionat.; Praedicator regul. (licentia, bened.); Praedicator (electio); Concionator; Praedicatio Episcopi.*

3) Cathedralis.

Vd.: *Praedicator (electio).*

4) Electio.

Ordinarius debet eligere Praedicores, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore. Sac. Congreg. Conc. apud *Zerol.* in praxi Episcoporum par. 1. verb.: Praedicatio §. 7., *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. part. 3. allegat. 76. num. 5. et in Summ. Apostol. decision. verb.: Praedicator num. 12. et supra *Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. num. 5. Electio tamen et deputatio Praedicatoris in sua Cathedrali* spectat ad solum Episcopum, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, quae competeret Capitulo seu Episcopo cum Capitulo vel de consilio Capituli. Sac. Congr. C. in Abulens. 3. Aug. 1686 apud *Barbosam* in Summa Apost. dec. verb.: Praedicator num. 11. et supra *Concil. cit.* num. 6. et seq. et cit. allegat. 77. n. 6. et *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. n. 41.

Capitulum in electione Praedicatoris pro Ecclesia Cathedrali nihil potest. Sac. Congreg. Conc. apud *Barbosam* in Summa loc. cit. num. 8. et supra Conc. 1. c. num. 8. et cit. alleg. 76. num. 7.

Addenda sunt sequentia resoluta dubia a Sac. Congreg. Conc. die 5. Sept. 1705 in Urgellen. juris concionandi, videlicet:

Primo: An Concionator deputatus ab Episcopo ad praedicandum in Cathedrali aliisque Ecclesiis in ejus ambitu existentibus teneatur exhibere literas patentes Capitulo in casu?

Secundo: An liceat Capitulo seu ejus Decano retinere clavem pulpiti ejusdem Ecclesiae Cathedralis?

Tertio: An Episcopus procedere possit per censuras in casu, quo Decanus et Ganonici se opponant in casu, non obstante, quod Capitulum se tueretur observantia sibi favorabili ac praetensione ordinariae jurisdictionis super Ecclesia Cathedrali ejusque ambitu?

Sacra Congregatio die, qua supra, respondit quoad primum et secundum: Negative. Ad tertium: Affirmative, et amplius in omnibus.

Sic apud *Scarfonton.* part. 3. addit. 18. num. 11. per tot., ubi multa alia adducit ad rem.

Si civitas seu universitas sit in possessione nominandi et praesentandi Praedicores pro Cathedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manentur in tali possessione; at si Episcopus vellet jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest), non posset eandem ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas et eleemosynam ministrare. Sacra Congreg. Concil. apud *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. n. 41., et apud *Monacell.* part. 1. tit. 11. formul. 7. n. 14. et signanter 11. Jun. 1596 decreto tenoris sequentis:

de B. V. M. sed communem. S. R. C. 2. Decbr. 1684.

Ad dubium: Utrum in Missis votivis celebrandis infra octavam Nativ. Dom. dicenda sit Praefatio ejusdem Nativitatis vel potius expediat prohiberi hujusmodi Missarum celebrationem pro majori ritus solemnitate?

S. C. resp.: Prohibendas esse Missas privatas vol. et def. In solemnibus vero Missis pro re gravi dicendam esse Praefationem juxta rubricam general. tit. 12. n. 4. n. 3754 ad 2 die 25. Sept. 1706.

(Bull. r. t. VIII. p. 438 Constitut. Clem. XI. 29. Sept. 1714.)

Ad dubium: An, quando fit Officium de s. Maria in Sabb. secundum rubricas Breviarii n. 8. et quando apud FF. Minores fiunt per annum Officia de Corpore Christi, de Immacul. Conceptione B. V. M. et B. P. Francisco, si celebrentur Missae votivae non habentes Praefationem propriam; debeat in iis dici Praefatio, cujus fit Officium, scilicet Praefatio vel de Nativ. Chr. vel de B. V. M. vel de s. Francisco vel an dici debeat Praefatio de tempore, alioquin communis?

S. C. resp.: Servetur rubrica gener. tit. 12. num. 4. n. 3788 ad 1 die 16. Junii 1708.

Ad dubium: Si aliqua de causa contingat celebrari Missam votivam carentem Praefatione propria in Dominica, in qua fiat Officium de Sancto habente in Missa propriam Praefationem, quaenam Praefatio in dicta Missa votiva dicenda est? De Trinitate ne, quum utpote affixa diei sit conformior Rubricis, vel propria de Sancto cujus fit Officium, licet sit tantum affixa festo?

„In casu Praefationem communem dicendam.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 27 die 16. Apr. 1853.

7) In Missis non votivis infra octavas.

In festo s. Hyacinthi C., Patroni principalis regni Poloniae, quod dominica infra octavam Assumptionis B. V. M. celebratur, dicenda est Praefatio B. V. M., quamvis nulla fit diei octavae commemoratio. n. 4259 ad 2 die 29. Novbr. 1755.

Vd.: *Inventio ss. Crucis.*

Tempore Passionis, quando contingat fieri Officium de infra octavam, unica cantari debet Missa de feria cum commem. diei infra octavam et praefatione de octava, si habeatur propria.

Die 23. Julii 1736 in *Einsidl.*

Si festa ss. apostolorum Philippi et Jacobi ac Inventionis s. Crucis occurrerint infra octavam Ascensionis, Praefatio in Missa erit de Apostolis vel de Cruce ac Communicantes de Ascensione. S. R. C. 28. Aug. 1627.

8) Infra octavam Nativ. Dom.

Vd.: *Missae conv. duae* (oblig. decr. n. 4044); *Missa vot. de Sancto*; *Elias*; *Missale* (Correctio, II. B. n. 7).

Ad dubium: An rubrica posita in Missa s. Joannis ap. assignans Praefationem de Nativitate accipienda sit generaliter, ita ut talis Praefatio debeat dici in omnibus Missis festivis occurrentibus infra octavam Nativitatis, etiam habentibus propriam Praefationem, seu potius dicta rubrica sit exceptio rubricae generalis, ita ut in sola Missa s. Joannis ap. debeat dici Praefat. Nativit., non vero in aliis Missis sive festivis sive votivis propriam Praefationem habentibus?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, n. 4401 ad 3 die 16. Febr. 1781.

Die 30. Decembris celebratur in Hispania festum translationis s. Jacobi. Hinc dubitatio oritur: quaenam Praefatio Missae adhibenda sit? Ab aliis enim assignatur de Apostolis, innixis decreto S. R. C. 16. Decbr. 1781 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Hispaniae ad 3.; ab aliis vero assignatur de Nativitate, innixis rubricae positae die 27. pro s. Joanne, excellentiae octavae Nativitatis et responsioni Dom. Nostri Pii VI. b. m. ad epistolam caeremoniarum Magistri Metropolitanae Valentinae his verbis:

Etsi juxta communes regulas Praefatio debeat dici de Apostolis, attamen propter reverentiam et dignitatem octavae Nativitatis speciatim, quia in antiquis Missalibus ita reperitur, ut *Gavantus*, *Meratus* testantur, Praefatio non de Apostolis sed de Nativitate dicitur. Quaeritur ergo: cuinam horum assentiri debeamus?

Et S. eadem C. rescribendum censuit ut infra:

„Servandum esse Decretum diei 16. Februarii 1781 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ad 3. n. 4478 ad 2 die 19. Septbr. 1801.

9) In Quadrag. et tempore paschali.

In dominicis quadragesimalibus et paschalibus debet recitari Praefatio de tempore non vero de SS. Trinitate. n. 4395 ad 19 die 18. Dec. 1779.

10) In quatuor temporibus.

Feria quatuor tempor. cadente in octavam Nativitatis B. V. M. dicendam esse Praefationem feralem (communem, non de B. V. M.) in Missa de feria conventuali. n. 665 die 12. Dec. 1626.

11) De Sanctis.

Ad dubium: An Praefatio in Missa S. Francisci de Paula dici possit propria ut in ipso Ordine?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Negative, sed illam, quae prostat in Missali Rom.“

Atque ita rescripsit et servandum mandavit. n. 5017 ad 2 die 14. Junii 1845.

Ad dubium: Utrum authenticum sit Decretum diei 29. Junii 1773, ubi asseveratur S. R. C. Seraphico Ordini concessisse lectionem Praefationis propriae s. Francisci in Missa Dedicationis Ecclesiae S. Mariae Angelorum Portiunculae diei 2. Aug., quo privilegio utitur?

Emi et Rmi P. rescribendum censuerunt: „Non constare de Decreto S. R. C. permittente universo Ordini Seraphico Praefationem de s. Francisco in Missa Dedicationis S. Mariae Angelorum.“

Atque ita S. C. rescripsit et servari mandavit. n. 5224 ad 4 die 14. Maii 1856.

Vd.: *S. Philippus Ner.* (Praef.).

Praefatio Missae s. Patris nostri Francisci composita a nostro beato Joanne ab Alvernia, ut refert P. Petrus Antonius a Venetiis nel Giardino Serafico tom. 2. part. 5. c. 5. quaeque recitatur a Nostratibus in solemnitate et tota octava ejusdem Seraphici Patris, recitari potest et debet in festo omnium Sanctorum nostri Ordinis. S. C. R. 22. Aug. 1722.

12) SS. Trinitatis.

URBIS ET ORBIS.

Singulis dominicis diebus totius anni, quibus Praefationes propriae per rubricas non sunt assignatae, incipiendo a dominica SS. Trinitatis currentis anni 1759 Sacerdotes omnes utriusque Cleri saecul. et regul. Praefationem de SS. Trinitate, quae jam inde a vetustissimis temporibus in usu fuisse dignoscitur, in Missa recitare tenentur. n. 4275 die 3. Jan. 1759.

Vd.: *Praefatio in Quadrages. etc.*; *Missale* (Correctio, II. B. n. 9).

PRAEPOSITUS.

Delatis ad S. R. C. pluribus controversiis excitatis inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropol. Valentinae et Praepositos in dicta Ecclesia a fel. rec. Sixto V. institutos placuit S. C. desuper exquirere votum Rotae; illoque habito in vim quatuor Decisionum ab ea emanatarum eadem S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Pamphilio, viso voto, dictis Decisionibus examinatis et re mature discussa, decrevit et declaravit: „licere dictis Praepositis sedere immediate post Canonicos in iisdem sedibus seu scamnis, in quibus sedent Canonici ad audientias conciones Ecclesiae et sermones candelarum et palmarum.

Item incedere una cum Canonicis ad recipiendas candelas in die Purificationis, cineres in die cinerum, palmas in die Palmarum, Eucharistiam in fer. V. in Coena Domini et ad adorationem Crucis fer. VI. in Parasceve.

Item accipere candelas accensas ab Acolyto seu Scolano (sic) immediate post Canonicos in foundationibus, in quibus deferuntur.

Item thurificandos esse Praepositos, eisdem deferendum pacem eodem modo, prout Canonicis.

Item Praepositos debere salutari a Canonico Praesidente et aliis Canonicis in choro existentibus eodem modo, quo ipsi Canonici salutantur.

Item licere Praepositis associare D. Archiepiscopum, quando accedit ad Ecclesiam, ad Officia divina, et cum eo facere circulum una cum Canonicis ad Introitum Missae, Kyrie, Gloria, Credo etc.

Item Praepositos posse ingredi chorum per portam principalem, praesente

ibidem Dom. Archiepiscopo, ac ab eo salutatione honorari debere.

Item licere Praepositis sedere in sedibus, quae apponuntur in Ecclesia S. Conceptionis in die Processionis Bullae Cruciatæ.

Item debere deferri Viaticum ad Praepositos infirmos eodem modo, quo defertur Canonicis et in sepeliendis Praepositis defunctis esse observandum eundem ritum, qui observatur in sepeliendis Canonicis, eorumque corpora in eodem sepulcro Canonicorum esse tumulanda et campanas eodem modo esse pulsandas.

Item in cantandis Missis posse Praepositos uti assistente, sicut Canonici, parique modo, uti Canonici, incedere ad praedicandum, nec debere Praepositos genuflectere ad benedictionem recipiendam.

Item distribuendam esse ceram Praepositis in Sabbato S. immediate post Canonicos, et eodem modo prout distribuitur Canonicis.

Item declaravit, Sacerdotem cum Reliquia in Processionibus occurrentem recipiendum esse inter Praepositos; eosdemque tam in supradictis actibus, quam in omnibus et quibuscumque aliis non expressis, dommodo non sint Capitulares, facere unum corpus cum Canonicis, et gaudere omnibus praecipientiis et praerogativis Canonicorum, absque ulla differentia. Capitulares autem actus eos solos intelligendos esse censuit, qui concernunt gubernium et administrationem Ecclesiae et jura Capituli, et vota eorum, qui sunt de Capitulo, exquirunt.

Et ita observari mandavit die 3. Aug. 1641.

Ad dubium 1.: An Praeposito Ecclesiae Cath. Anagninae debeat thurificatio triplici ductu absente Episcopo, et quatenus affirmative?

2.: An debeat praesente Vicario generali?

3.: An Praepositus in locis, ubi ob deficientiam sedium fixarum chori Canonici sedent in scamnis, sive in functionibus s. sive in congressibus canonicalibus debeat praesente vel absente Episcopo sedere in illis, servata praerogativa primi loci sive potius sit pro eo ponenda sedes honoraria cum appodio ad humeros?

4.: An Praeposito in diebus solem. sacrum faciente possint in gradibus abaci exponi pelvim, gutturnium et manutergium in lance, quibus utatur, duobus Mansionariis vel Clericis cum cotta ministrantibus ad Lavabo, vel potius debeat sacrum facere ad instar aliorum Canonicorum?

5.: An Praeposito in processionibus debeat candela majoris ponderis et in distributione Palmarum distincta et honorabilior, quam caeteris de Capitulo?

6.: An assistentibus in choro Vicario gen. et Praeposito praecedere debeat Vicarius vel potius Praepositus? Et quatenus affirmative ad primam partem?

7.: An eadem praecedentia debeat Vicario, si Praepositus sit indutus s. vestibus, aut si Vicarius sit simul Canonicus et intersit in choro cum habitu canonicali?

8.: An Praeposito debeantur in sacario param. s. et nobiliora in loco distincto a caeteris Canonicis?

9.: An Praepositus teneatur per se ipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in choro et canere Missas per turnum cum caeteris Canonicis?

10.: An liceat Praeposito se eximere ab assistentia in processionibus s. Marci, Rogat. et aliis cum pluviali in casu?

S. C. resp.

Ad 1.: Negative;

Ad 2.: Provisum in primo;

Ad 3.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

Ad 4.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;

Ad 5.: Affirmative;

Ad 6.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

Ad 7.: Negative;

Ad 8.: Negative;

Ad 9.: Affirmative;

Ad 10.: Servetur Caeremoniale et amplius.

Die 21. Apr. 1736 in Anagnina.

Ad dubium: An debeat praecedentia Praeposito Cathedr. Segnen. adversus Archidiaconum?

S. C. resp.: Negative.

Die 26. Mart. et 9. Apr. 1718.

Cf.: *Usus Pontif.*; *Dignitas*; *Candela*; *Canonici*; *Magistratus*; *Baculus*; *Annulus*; *Benedictio*; *Matutin. sol.*; *Nativ. D.*; *Vesperae*; *Vicarius general.*

PRAESENTATIO

B. V. M.

Ex parte Monialium Monasterii s. Cypriani Ordinis s. Benedicti civitatis Tergesti S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione dubii: An Officium Praesentationis B. M. V., quod occurrit die 21. Novembris, in qua celebratur octava Dicationis ipsarum Ecclesiae, fieri possit cum commemoratione octavae Dicationis Ecclesiae?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Faciendum esse Officium dicta die Praesentationis B. M. V. cum commemoratione octavae Dicationis Ecclesiae.

N. 3897 die 23. Jan. 1717.

„Sac. Congreg. Conc. censuit, esse in electione Episcopi vel deputare in sua Cathedrali Praedicatorem, etiam quod populus illum ab immemorabili tempore eligere consuevisset, vel praedictam nominationem ipsi populo relinquere, ita ut si Episcopus Praedicatorem eligat, populum ad eleemosynas Praedicatori erogandas compellet. Verum si populum praedicta facultate eligendi Praedicatorem uti praemisit, tunc populum ad solitas eleemosynas praestandas cogere poterit.“

Et in Urbinaten. 7. Junii 1698, in Aesina 30. Septembris 1702, in Neocastren. 6. Oct. 1703 apud *Monacell.* part. 2. tit. 3. formul. 8. num. 3., et sic pluries respondit etiam S. Congr. Episcop. apud *Pignatell.* loc. cit. et *Monacell.* part. 1. loc. cit. n. 14.

Nec in tali casu pensionarii mensae episcopalis contribuere tenentur ad dictam eleemosynae taxam seu Praedicatoris manutentionis expensas. Sac. Congr. Conc. in Nullius 29. Maii 1649, in qua sic habetur: Sacra Congreg. Concilii censuit, pensionarios mensae episcopalis non tenere contribuere pro rata expensis, quas Episcopus annuatim solvit ex fructibus mensae Praedicatori in Cathedrali concionanti; l. 18. decr. p. 624.

Dato, quod Episcopus ab exercitio jurisdictionis pro aliquo tempore suspendatur et detur ei Vicarius apostolicus, adhuc retinet jus talis electionis, quia, si ipse solvit, debet Praedicatorem in Cathedrali eligere, et non Vicarium apostolicum. S. Congr. Episc. in Sorana 13. Eebr. 1699.

Consuetudo immemorabilis nominandi vel praesentandi Praedicatorem Episcopo pro Ecclesiis inferioribus non est sublata, ut decisum fuisse refert *Barbosa* supra Concil. cit. sess. 5. cap. 2. num. 16. et *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. num. 26.

Unde si Communitas vel Dominus loci temporalis nominat Praedicatorem et solvit eleemosynam, consuetudo hujusmodi servanda est. S. Congr. Episcop. in Aprutina seu Interamnen. 7. Febr. 1615, S. Congr. Conc. in Aquilan. 1. Junii 1696.

Item si Episcopus consueverit eligere et Communitas solvere, talis consuetudo servanda est; absque eo quod Universitas seu Communitas possit praetendere nominationem. S. Congr. Conc. in Ostunen. 15. Nov. 1692 et in Bovinen. 20. Jun. 1693.

Universitates seu alii habentes jus nominandi Praedicatorem non possunt in suis patentibus literis uti verbis: „*Eligimus et deputamus ac electum et deputatum declaramus*“, sed debent uti verbis: *Nominamus et praesentamus*, uti pluries declaravit Sacra Congreg. Episcop. et Regular. apud *Pignatell.* l. c. num. 54. et seq. et signanter in Caesenaten. die 17. Sept. 1655 et nuper S. C. Conc. in Sutrina 8. Maii 1686 et in Urbinaten. 7. Jun. 1698 et 10. Jan. 1699 apud *Monacell.* part. 1. tit. 11. formul. 6. num. 3.

Ibi sub num. 4. subjungit, quod haec regula etiam procedit, quamvis nominatio Praedicatoris ad Generalem alicujus religionis pertineret, quotiescumque, non pro religione, sed pro commoditate Universitatis, quae eleemosynam solvat, in Ecclesia Regulari concio habenda sit, prout censuit S. C. Episcop. et Regular. in Alatrina 3. Julii 1693 proponente Emi Card. de Judice.

Praedicator destinatus ab Episcopo defuncto vel electus a Rectoribus antiquis praedicare debet, nec Successores possunt alium eligere. S. C. Episcop. in Acheruntina 2. Apr. 1601 et 17. Febr. 1645, et antea in Mazariensi 15. Decbr. 1687 apud *Pignatell.* l. c. num. 57.

5) Examen.

Vd.: *Praedicat. regul.* (licentia).

Regulares praedicare volentes in Ecclesiis suorum Ordinum non spectat ad Ordinarium eos examinare sed ad eorum Superiores. S. C. Episcop. et Regular. in Salernitana 19. Dec. 1610. Secus autem si Praedicator sit Clericus saecularis, etiam electus a Regularibus, vel si Regularis praedicare velit in Ecclesiis aliorum Ordinum, etiam ab ipsis Regularibus electus. S. C. Episcop. et Regular. in Cajetana 15. Decbr. 1607 apud *Pignatell.* cit. consult. 206. num. 66.

Vd.: *Constit. Leonis X. diei 19. Dec. 1516* in Bull. r. t. I. p. 579.

6) Quadrages.

Habentes jus nominandi Praedicatorum quadragesimalem debent illum nominare et praesentare Episcopo in termino a Synodo dioecesana praescripto vel ante festum nativitatis Domini Nostri Jesu Christi vel duobus mensibus ante Quadragesimam, alias nominatio devolvitur ad Episcopum. S. Congr. Conc. in Narnien. 24. Febr. 1625 lib. posit. fol. 383 et 446. et in Theanen. 14. Aprilis 1685 apud *Monacell.* part. 4. ad supplement. ad tom. 2. num. 110., vel, ut habet idem *Monacell.* part. 4. tit. 1. formul. 7. num. 1., debent praesentare Episcopo intra mensem Novembris Quadragesimae praecedentem; et si praesentatus fuerit rejectus, alium per totum mensem Decembr. nominare et praesentare, alias pro illa vice jus amitterent et ad Episcopum devolveretur, et solitam eleemosynam adhuc cogentur solvere. S. Congr. Episcop. et Regular. apud *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. num. 54. et *Nicol.* in Flosculis verb.: Praedicator num. 1. et signanter in Rossanen. 10. Decbr.

Decreta authentica. Tom. II.

1591, in Marsicensi 13. Apr. 1612, in Milevitana 21. Jun. 1612, Cassanen. 11. Junii 1627. Et nuper teste ipso *Monacell.* cit. num. 1. declaravit S. C. Concil. in Trojana 14. Aug. 1700 et novissime eadem S. Congr. Conc. in Theanen. 1729 ad 2. dub. respondit, quod Communitas tenetur exhibere Episcopo nominationem Praedicatoris per duos menses ante initium Quadragesimae. Sic apud *Thesaur.* Resolut. S. Congr. Conc. tom. 4.

Si tamen nominatio et praesentatio Praedicatoris fiat re integra, paulo post terminum elapsum, admitti debet, saltem ex gratia. S. C. Episcop. in Nucarina 29. Jan. 1627 apud *Pignatell.* l. c. num. 54.

Item quando habentes jus nominandi nominaverunt et praesentaverunt in tempore, si nominatus et electus postea non vult vel non potest illuc ire, non idcirco debent privari jure suo sine culpa. S. C. Episc. in Narniensi 24. Febr. 1612 apud *Pignatell.* l. c. num. 54. et *Nicol.* l. c. num. 3. et eadem S. Congr. in Ariminen. 8. Febr. 1686 apud *Monacell.* part. 2. tit. 12. formul. 8. num. 4.

Nisi acciderit in ultimis diebus ante Quadragesimam, quia tunc providebit Episcopus. Nec Universitates habentes dictum jus recusare poterunt Praedicatorem vel ei eleemosynam solitam denegare. S. C. Episcop. in Montis Falisci 18. Sept. 1648 apud *Pignatell.* et *Nicol.* l. c.

7) Regularis.

a) Benedictio.

Vd.: *Praedicator* (approb. Episcopi); *Concionator*.

Praedicatores Regulares tenentur petere benedictionem ab Ordinario, etiam quando in quibusvis Oratoriis sui Or-

dinis sermonem coram populo vel in Ecclesiis aut ad crates Monasteriorum Monialium sibi subjectarum, licet clausis januis et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint. Sic expresse Clemens X. in dicta Constitut. incip.: *Superna*; ibi: „Et huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint.“

Hinc non possunt Regulares in propriis Oratoriis vel in propriis Ecclesiis nequidem unum sermonem in eorum festis etiam extra tempus Adventus et Quadragesimae habere coram populo sine benedictione Ordinarii, ut colligitur ex citatis verbis Constitutionis: *Superna*, et expresse jam declaraverat S. Congreg. Conc. in Vercellensi die 21. Martii 1643 et Tridentin. cap. 2. sess. 25. et cap. 4. sess. 24. de reform. apud *Pignatell.* tom. 1. consult. 266.

Item Regulares, qui occasione recitandi Rosarium in suis Ecclesiis exponunt Sacra Mystera et faciunt pias exhortationes, tenentur petere benedictionem ab Ordinario loci. Sacra Congr. Conc. in una N. die 14. Aug. 1643 apud *Pignatell.* tom. 1. consult. 407.

Tempore Quadragesimae, Adventus et huiusmodi longi temporis continuate praedicandi non est necesse, quod Praedicatores Regulares singulis diebus pro singulis Concionibus petant ab Ordinario benedictionem, sed sufficit, quod illam petant et obtineant in principio, ut aperte colligitur ex Concilio Trident. cit. sess. 4. de reform. cap. 2.; ibi: „Antequam praedicare incipiant.“ Et pro certo tenet *Matthaeucc.* Official. Cur. cap. 12. num. 15. et alii.

b) Licentia praedicandi.

Episcopus examinare potest Praedicatores etiam Regulares praedicare volentes in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt. S. Congr. Conc. in Ugentin. 22. Jan. 1628. Clemens X. Constit. incip.: *Superna*; ibi: „Posse Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, praedicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus aut Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad Doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit.“

Et Episcopus licentiam praedicandi semel iisdem Regularibus concessam ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere potest. Sic praecise Clemens X. in dicta Constitut.: *Superna*; ibi: „Et licentiam praedicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere.“

Non potest tamen Episcopus generatim prohibere Regularibus, qui in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent. Sic expresse Clem. X. in d. Const.: *Superna*; ibi: „Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent.“

Praedicatores Regulares non possunt praedicare, ne quidem in Ecclesiis sui Ordinis, nisi prius a suis Superioribus Regularibus fuerint examinati et approbati, et ab eis licentiam obtinuerint. Sic expresse Concil. Trident. sess. 5. de reform. cap. 2.; ibi: „Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint,

ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare non possint.“

Insuper Praedicatores Regulares, ut praedicent etiam in Ecclesiis sui Ordinis, debent prius petere benedictionem ab Ordinario. Sic expresse Conc. Trident. l. c.; ibi: „Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant.“

Idem statuit Gregorius XV. Constit. incip.: *Inscrutabili*, et Clemens X. Constit. incip.: *Superna*; ibi: „Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo Dioecesano benedictionem petere.“

Sufficit autem, ut Regulares in Ecclesiis sui Ordinis praedicare possint, quod benedictionem ab Ordinario petierint, quamvis illam non obtinuerint. Sic expresse Clemens X. in d. Const.: *Superna*; ibi: „Praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint.“

Dummodo tamen Episcopus expresse non contradixerit, quia si Episcopus nedum non concesserit benedictionem sed etiam contradixerit, tunc Regulares nequeunt praedicare nequidem in Ecclesiis sui Ordinis. Sic expresse Clemens X. in d. Const.: *Superna*; ibi: „Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit sed etiam contradixerit, ne in praedictis quidem Ecclesiis licere Regularibus praedicare, eosque contravenientes ab illo, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, censuris aliisque poenis ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Greg. XV. praedecessoris Nostri incip.: *Inscrutabili Dei providentia*, coerceri et puniri posse. Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debere.“ Et videtur sic prius statuisse Conc. Trid. sess. 24. reform. cap. 4.; ibi: „Nullus autem Saecularis vel Regularis, etiam in Ecclesiis suo-

rum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat.“

Et sic declaravit S. Congr. Conc. in una Foroliv. 4. Febr. 1647 ad cap. 4. sess. 24. de reform.

PRAEFATIO.

1) In bened. fontis quomodo cantanda?

Vd.: *Missale* (Correctio, II. A. n. 5).

2) De Cruce.

Vd.: *Ibid.* (II. B. n. 8).

3) B. V. Mariae.

In praefatione Missae *Expectat. B. V. M.* dicendum est: *et te in expectat. B. V. M.*; et in festo *ss. Rosarii: Et te in Solemnitate B. V. M.*, omissis verbis: *Partus et Rosarii.* n. 4299 ad 9 die 3. Martii 1761.

Quid mutandum sit in rubrica Praefationis B. V. M., vd.: *Missale* (Correctio, II. B. n. 10).

4) In Missa de Rogationibus.

Vd.: *Lytaniae maj.* (Praef.).

5) In Missa coram SSmo.

In Missis, quae coram SSmo celebrantur, dicitur Praefatio Missae currentis, si habeat propriam; alias de communi; nunquam vero de SSmo. n. 4175 ad 9 die 4. Sept. 1745.

6) In Missis votivis.

Si celebratur Missa votiva infra octavam, et haec Missa habeat propriam Praefationem, Praefatio de Missa votiva cantanda est. n. 2223 ad 3 die 16. Junii 1663.

Qui in Sabbato recitat Officium de B. V. M., volens celebrare Missam votiv. de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria* neque Praefationem de